Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36491
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

potentiam seruans infirmitatis suę meminerit. et eum quem
adhuc in maiestate sua uidere non poterat. quam sit inesti
mabilis in ipsa mysteriorum celestium gubernatione perpendat.
Sed cur ista loquimur. qui stimulo rationis urgemur. ut hęc uerba
mysticis sensibus grauida cognoscamus. Quid enim micantes
plyades quę et vii. sunt aliud quam sanctos omnes denuntiant. qui
in presentis uitę tenebras spiritus septiformis gratię nos lumi
ne illustrant. qui ab ipsa mundi origine usque ad eius terminum
diuersis temporibus ad prophetandum missi. iuxta aliquid sibi con
iuncti sunt et iuxta aliquid non coniuncti. Stellę enim plyades sicut
superius dictum est uicinitate sibi coniunctę sunt. tactu distinctę. si
mul quidem sitę sunt. et tamen lucis suę uicissim radi
os fundunt; ita sancti omnes alius atque alius ad pre
dicandum temporibus apparentes. et disiuncti sunt per uisionem suę
imaginis. et coniuncti per intentionem mentis. Simul micant. quia
unum predicant. sed non semetipsos tangunt. quia in diuersis te
poribus paruerunt. Quam diuersis temporibus abel isaias et iohannes appa
ruerunt. diuisi quidem tempore fuerunt. sed non predicatione. Nam abel
redemptoris nostri passionem significans agnum in sacrificio
optulit. de cuius passione ysaias ait; sicut agnus coram tonden
te se obmutescet. et non aperiet os suum. De quo iohannes quoque ait. Ec
ce agnus dei. ecce qui tollit peccata mundi. Ecce diuisi quidem
temporibus missi. et tamen concorditer de redemptoris nostri inno
centia sentientes. eundem agnum iohannes ostendendo. ysai
as preuidendo. abel offerendo locutus est. et quem iohannes in
ostensione. quem ysaias in locutione. hunc abel signifi
cando in manibus tenuit. Quia igitur quomodo plyades stellę
de humanitate redemptoris sibi concinnant diximus. nunc
quomodo in ostendenda unitate trinitatis concorditer luce
ant demonstremus. Diuersis quidem temporibus huic mundo

xl. iiii. Quid micantes stellę plyades significent.

xl. v. Qualiter ecclesię stellę in ostendenda unitate trinitatis concorditer lateant.